

1.40.12

*Idem AA. Monaxio pp.*

Omnes per provincias apparitores pro inveterata auctoritate iuxta motum iudicis nudatos verberibus, si ita res tulerit, subiacere praecipimus, ut et facilis exsecutio rerum publicarum sit et officiorum insolentia comprimatur et iudicum severitati competens reddatur auctoritas.

*D. VI k. Ian. Honorio VIII et Theodosio V AA. cons.*

[a. 412]

1.40.

13 Μὴ γινέσθωσαν κεχαρισμένα περὶ τοὺς ἄρχοντας ψηφίσματα, ἀλλὰ κωλυέσθωσαν παρ' αὐτῶν, καὶ πρὸ μιᾶς καὶ μόνης ἡμέρας ἐν τῷ μέλλειν ἐπιβαίνειν τῆς ἐπαρχίας τὸ μηνῶν αὐτὸν πεμπέσθω διάταγμα. ἐπὶ κλοπῇ δὲ ἀλοῦς ἢ ἐγκλήματί τινι οὐ μόνον περὶ αὐτὴν τὴν σωτηρίαν, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὴν οὐσίαν κινδυνεύσει.

*id est:*

Decreta de remunerandis praesidibus ne fiant, sed ab ipsis impediuntur, et edictum, eum nuntians ante unum tantum diem, quam provinciam ingressurus est, mittatur, quoa si in furto vel aliquo crimine deprehensus erit, non solum de salute ipsa, sed etiam de facultatibus periclitabitur.

1.40.14

*Imp. Leo A. Constantino pp.*

Si quis cohortalibus adhuc obsequiis obligatus regimen provinciae vel cingulum cuiuslibet militiae dignitatisve quoquo modo meruit, contra licitum usurpatis impetratisve careat, etiamsi ultronea nostra liberalitate ius gerendae provinciae vel militiae seu dignitatis cuiuspiam sibi iactaverit fuisse delatum.

*D. VII id. Aug. Constantinopoli Leone A. IIII et Probiano cons.*

[a. 471]